

www.e-rara.ch

**Divi Gregorii theologi, episcopi Nazianzeni opera, quae quidem extant,
omnia, tam soluta quàm pedestriatione conscripta, partim quidam iam
olim, partim verò nunc primum etiam è Graeco in Latinum ...**

Gregorius

Basileae, 1550

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-120888>

Oratio beati Gregorii Nazianzeni habita in praesentia episcoporum centum quinquaginta:
Bilibaldo Pircheimero interprete.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

puriores deprehendant. Quomodo tu ipsa & unitas esse nosceris, & trinitas inueniris, quomodo ingenitū, & genitum, & procedens, una sit natura, tres proprietates, unus Deus, super omnes, & per omnes, & in omnib. neque præponendus, neque postponendus, nec diminuendus, neque incisus: hoc quidē nuper deprehensus, hoc uerō inquisitus, forsitan aliquando quantus existas deprehenderis, ab ijs qui te hic bene quærunt, per uitam & contemplationem, tibi sit omnis gloria, honor, & potestas in secula, Amen.

ORATIO BEATI GREGORII NAZIANZENI

habita in præsentia episcoporum centum quinquaginta: Bilibaldo

Pircheimero interprete.



Quomodo uobis pastores chari, & compastores, quorum pedes frugiferi sunt, & qui annūciatis pacem, & bona cum quibus aduenistis, res placent nostræ: oportune autē hoc tempore uenistis, non ut oues errantes reducat, sed ut pastorem peregrinū consideretis, quemadmodū se habeat peregrinatio nostra & quis nam illius fructus, seu potius spiritus qui in nobis est, cui semper cōmunicatis, & nunc cōmunicamus, nihil propriū habere desiderantes, nec fortē habentes. igitur inter uos ipsos perpendatis, & discatis, censoresque sitis rerum nostrarū meliores, num oporteat, ut quemadmodū, quum in administratione rei militaris, seu præfectura populari, aut dispensatione domestica pecuniarum exigitur ratio, ita nos quoque publicē illam reddere, ob ea propter quæ accusamur. haud enim uerecundamur, si iudicati fuerimus, quoniam pro parte etiā iudicamus, & ambo hæc cum eadem dilectione, quæ lex uetusta est. Nam & Paulus non ideo Euangelium apostolis communicauit, ut contenderetur, cum contentio ab omni spiritu bono sit remota, sed ut firmaretur id quod emendatum erat, aut emendaretur quod emendatione indigebat. saltem tale quid erat in ijs quæ ab eo dicebantur uel fiebant, quæ admodum ipse ostendit, de seipso scribens. Quoniam & spiritus prophetarum prophetis subiicit, secundum disciplinam spiritus, qui cuncta bene dispensat & diuidit. Si hæc autem illius, & quorundam sunt propria, ego uerō publicē & omnibus rationem reddo, mirari nolite. potius enim utilitatē ex argumentorum libertate capere uolo, quemadmodū & ille, quā ut uidear deficere, in eo quod decet, ne fortē in uanum curro, aut curram. nec aliter me excusabo, quā quod sermonem per species diuidam. Quæ igitur excusatio mea est? si falsa, reprehendite: si uera, testimonium præbete his de quibus est sermo. Vos enim mihi & defensio, & testes, & gloriationis estis corona, ut & ego quid ex Apostoli dictis iuueniliter usurpare audeā. Ouile hoc aliquando paruum fuit & imperfectum, quantum pertinebat ad uisibilia. sed nec ouile erat, uerū parui ouilis uestigium, & residuum, inordinatum, Episcopo cassum, & indefinitum: nec pascua habens libera, neque caulam. errabat in montibus & speluncis, ac cauernis terræ, cum aliud aliter esset dispersum & segregatum, sicut unicuique contingebat, tectum, aut pastū, propriam uel suffragas salutem. quemadmodum ouile illud quod leones expellunt, aut tempestas dissoluit, aut tenebræ disijciunt. quemadmodum deplorant prophetae, dum calamitates tales populo æquipararant Israelitico, quum traderetur gentibus. Deplorauimus & nos ea quæ luctu digna duximus, cum expelleremur, & abijciebamur ad omnem montem & collem, sicut pastor errans in eremo. & hyems quædam mala ecclesiam detinebat, ac ferae potentes grassabantur, quæ ne nunc quidem post tranquillitatem redditam nobis parcunt, sed sine pudore, tempore etiā sunt uiolentiores. ac tristis quædam caligo omnia occupauerat, & obtexerat, multum nona Aegyptiaca plaga grauior: de caligine loquor quæ tangi poterat, propter quā parū aberat, quin inter nos nec cernere potuissemus, & ut aliquid maiori cōpensione dignum dicam, tanquam patri nos tradenti confisus: Abraham non cognouit nos, & Israel non cognouit nos. Sed tu pater noster es, & ad

Julianus

Valens

te aspiciamus, præter te alium non cognoscimus, nomen tuum nominamus, propter illud excusabo. Sed & iudicia loquar ad te, inquit Hieremias, facti sumus tanquam ab initio, quum non coercebas nos, & latebat nos testamentum tuum sanctum, & abstulisti à nobis misericordiam tuam. propterea facti sumus opprobrium dilecto tuo, nos trinitatis adoratores, perfectæ deitatis profugi perfecti, & qui nihil super nos acceptum nobis ferre audeamus. neque tantum sicut impiè & Deo pugnantes, attolli linguis, ut dominationem faciamus cõseruam. sed traditi sumus propter alia peccata nostra, & quia nequaquam dignè ad mandata tua conuersi sumus: quia post malas nostras ambulauimus cogitationes. propter quid enim aliud traditi essemus, uiris iniquissimis & pessimis, ultra omnes qui habitant orbem terrarum? Ex quibus, primus Nabuchodonosor nos oppressit, qui cum Christo contra Christum insanauit, & propterea Christum odio habuit, quoniã per ipsum saluatus fuerat, & pro sacris libris impia suscepit sacrificia. comedisset me, diuisisset me, abscondisset me caligo tenuis, ne & flens quoque à scriptura discedam, nisi Dominus succurrisset mihi, & ipsum iustè manibus dedisset iniustorum, ad Persasque ablegasset. qualia Dei sunt iudicia? & super sanguinem iniustum, sanguis effusus est iustè, quum hic solum non amplius ultio cunctaretur diuina. parum enim abfuit, quin anima mea in inferno habitaret. Ceterum nec secundus illo humanior fuit, si non grauior etiam. & tanto magis, quia Christi præ se nomen ferens, Christum mentiebatur, eratque Christianis opprobrium: quibus & facere impium erat, & pati ingloriosum: quoniam in re nulla iniuriam pati uidebantur. neque magnificum martyrij nomen adipisci poterant, sed & hic suffurabatur ueritatem, quod Christiani paterentur, & tamen sicut impij corriperentur. Heu in quantis malis uersati sumus, quoniam ignis deuorauit speciosa orbis. reliqua depasta est locusta, & reliquias locustæ deuorauit erugo. inde & bruchus, ac inde nescio quid præter hæc, semper aliud super aliud pullulans malum. quis temporis illius ærumnas cunctas, & quæ tunc nos comprehenderunt enumerare posset? siue id exactionem uocare oportet, siue probationem, siue examinationem, excepto eo quod transiimus per ignem et aquam, & peruenimus ad requiem, bona eius uoluntate qui nos saluauit. Sed ut redeam unde me impetus abstulerat, rusculum hoc aliquando paruulum erat & pauperculum, & nondum pietatis seminibus & doctrinis excultum. sicut Deus totum hunc mundum excoluit. sed nec pauperis alicuius erat egeni, uel medio cris, ut uidetur. imò nec colebatur totum. nec horrea uel aliud tale habebat nec falce dignum, nec cumulo: neque manipulos paruos, sed immaturos. & qualia sunt reiectamēta, quæ nec manum implent metentis, nec quæ prætereuntium prouocarent benedictionem. Nunc uerò tale nobis rus est, talis & messis. magnum quidem, & segete egregium, pingue quoque contemplatori occultorum, & tali agricola dignum, multa animarum armans milia: rectè uerbo excultum, non tamen multis cognitum, nec subito in unum congregatum, sed paulatim collectum, sicut calamus tempore messis: & sicut racemus in uindemia, cum non superest uua. sed & hæc mihi addenda uidentur, admodumque opportunè. tanquam speculatorem in eremo inueni Israel. & sicut acinum unum, aut alterum maturum, in racemo immaturo: benedictionem quidem Domini custoditam, & primitias cõsecratas, excepto adhuc pauco & raro, & quod nequaquam implet os comedentis, & sicut signum super colle, & sicut nauis malum super monte, seu aliud quid singulare, & quod non à multis est contemplabile. & hæc prioris fuere paupertatis & tristitiæ. Postquam autem Deus depauperans & ditans, mortificans & uiuificans, qui facit omnia, & preparat solum uoluntate, qui facit ex nocte diem, ex hyeme uer, ex tempestate tranquillitatem, ex terræ siccitate humiditatem: & hoc sæpius ob unius iusti preces, qui multam etiam patitur persecutionem. Qui mansuetos tollit in altum, peccatores autem ad terram usque

usq; humiliat: illud ad seipsum dixit: Vidēs uidi afflictionem Israel, & non addent ultra, ut luto & lateribus illū affligant. & dicens cōsiderauit, & cōsiderans saluauit, & eduxit populum suum in manu forti, & brachio excelso. In manu Moſis & Aaron dilectorum suorum. quid fit? & quæ miracula perpetrantur? ea nempe quæ libri referunt, & memoria conseruat. nam ultra illa in uia facta, & strepitum magnum, succinctius quid dicam. Ioseph solus in Aegyptum est delatus. & paulo pōst sexaginta myriades ex Aegypto sunt reuersæ. quid hac re mirabilius? seu maius diuine magnitudinis testim onium, quàm ex rebus fermè impossibilibus facere possibilia? & ut terra promissionis hæreditate possideretur, propter unum qui odio habitus fuerat. qui enim uenditus erat genti alienæ, in gentem excrescit magnā, & parua illa propago uinea fit speciosa: & tanta, ut flumina transcendat, et extēdatur usq; ad mare, ex terminis dilatata in terminos, cuius gloria montiū cōtegit excelsa, attolliturq; supra cedros. & hæc sunt miracula Dei. sed ut montes & cedros omittamus, talis olim erat grex iste: nūc uerò ita obediens & dilatatus. & licet olim non esset populus, in talem tamen paulatim actus est numerus: prophetizo autem quod plus augebitur. hoc enim mihi sanctus spōdet spiritus, si quid in me est propheticum, et ego futura cerno: sed & ob præcedentia confido. & tanquam uerbi collactaneus, futura intellectu deprehendo. longè magis enim mirandum est, quod ex tam paruo numero, adeo aucta sit, quàm quod nunc in summum ueniat splendorem. Ex quo enim cœpit congregari, ab eo qui uiuificat mortuos, ossaq; ad ossa coniuncta sunt, & harmonia ad harmoniam, & aridis datus est spiritus uitæ, & renascentiæ, rectè scio quod uniuersa impleri oportet resurrectio. ne extollantur in semetipsis, irritatores, & umbram amplectentes, aut è somno suscitati, seu auras spirantes, uel nauis uestigia per undas aliquid habere putent. Ululauit pinus, quoniam cecidit cedrus: aliorū erudiantur malis, et discant, quod non in finem usq; opprimetur pauper. neq; deitas detruncata & diuisa sustinebit: ne in excessu, quemadmodum Abacuc inquit, detruncentur capita potentum. nostis id quod imperat, & cui imperatur: ac quomodo potissimum deitas iniuria afficiatur, difracta, condituraq; pari deitatis degrauietur honore. Videor & mihi hanc uocē audire ab eo qui in unum colligit dispersos, & suscipit oppressos. dilatabo adhuc terminos tuos, ac illos extendam in dexteram & sinistram, ac caulam tuam, inquit, firmabo. ego te tradidi, & ego tibi succurram. In ira parumper te percussi, et in misericordia æterna, glorificabo te. Maior mensura est clementiæ quàm mensura emendationis, illa propter malitiam, hæc uerò propter trinitatem adoratam: illa propter purgationem, ista autem propter meam gloriam. qui glorifico glorificantes, & ad æmulationem prouoco æmulantes. Ecce hæc à me sunt ob signata, & hæc est retributionis lex indissolubilis. tu uerò mihi recense parietes, & incrustationes, & calculum ornatum, & cursus longos, & recursus, & auro splende, & circumsplende. hunc quidem ut aquam seminasti, illud autem ut arenam collegisti, ignorans quod melior est manifesta fides, quàm impietas multiplex, & plures sunt Deo tres collecti in nomine Domini, quàm multi negantes diuinitatem: si saltem unum Abraham, omnibus præponere uolueris Chananæis, & unum Lot omnibus Sodomitis, & Madianitis Moysen peregrinum & exulē. quid autem trecēti illi, qui cum Gedeone deprehensi fuerunt: nōne milibus multis qui reuersi sunt præferendi erunt: quid uernaculi Abraham, qui paulo plures illis erant? multos tamen reges, & exercitum tam copiosum persequuti sunt, & in fugam uertērunt, licet numero essent pauci. Illud autē quomodo nostis? quod si fiet numerus filiorum Israel tãquam harena maris, reliquū saluabitur. quid autem hoc? Referuau mihi septem milia uirorum, qui non incuruauerunt genua sua coram Baal. nōne ita se res habet? non ne nequaquam in plurimis

clarescit Deus. Tu mihi numeras myriades, Deus autem saluandos. & tu quidem immensitatem terræ, ego autem uasa electionis. nihil enim Deo tam magnificum, sicut sermo depuratus, & anima perfecta in doctrinis ueritatis. Quid enim dignum est factori omnium? & apud quem omnia, & in quem omnia: dare aliquid & offerre Deo, nequaquam unius manus opus est, aut substantiæ, sed nec si quis uniuersam opulentiam humanam aut copiam in unum conferret, illum honorare posset. Nonne cœlum & terram ego impleo: dicit Dominus. & qualem domum mihi ædificabis? aut quis mihi locus erit ad requiem? Proinde postquam necesse est à dignitate aberrare: quod secundum est, à uobis pietatem peto, diuitias mihi communes & condignas: quibus fortè ualde diuitem superat, admodum pauper, si est magnanimus. siquidem contentio talis professionis est, & nequaquam abundantia. Hæc enim, ut sciatis, è manu uestra accipiam. aulam meam conculcare, ne addatis. sed calcabunt eam pedes mansuetorum, cognoscendum me, & uerbum meum unigenitum, & spiritum sanctum, sanè, & legitime, donec hæreditate acceperint montem meum sanctum, ad tempus arca apud alienigenas. nunc autem parumper delicti sitis in alienis, & frui mini uoluntate, quia quemadmodum merejcere deliberatis, ita & ego abijciam uos, ait Dominus dominator omnium. hæc mihi uisus sum à Domino audire dicente, & scire faciente: & ultra hæc etiam, Deum, ad populum clamantem, qui ex paucis factus est iam multus, & satis ex disperso collectus, ac forsitan ob misericordiam non amplius inuidiæ obnoxius. transite per portas meas, & dilatemini, ne semper laboretis habitantes in tentorijs, nec super uos affligentes gaudeant. ad angelos uerò præsidentes ait: credo enim alios alijs præesse ecclesijs, quemadmodum me Ioannes in Apocalypsi docet: Viam facite populo meo, & lapides è uia proijciatis, quo nihil sit populo impedimento, neq; offendiculo in itinere & introitu diuino, nunc quidem ad manufactā, paulo post uerò ad Hierusalē supernam, & sancta sanctorum, quæ ibi sunt, & quæ finem tandem esse scio ærumnarū presentium & anxietatum, ijs qui bene incedunt. Inter quos & uos estis uocati sancti, populus acceptus, sacerdotium regale, funiculus Domini fortissimus. à stilla fluuius totus, à scintilla lampas cœlestis, ex grano sylua arborum, super quibus requiescunt uolatilia. Tale donum uobis offerimus pastores chari, tales adducimus, talibus nostros excipimus amicos, & hospites, & comperegrinos. nihil his pulchrius aut splendidius, uobis offerre possumus, etiam si ea quæramus quæ maxima habemus, quo sciatis nos peregrinos esse, sed non indigentes: uerum pauperes, multis autem ditantes. hæc si parua sunt & momenti nullius, audire uolo quæ nam sint maiora, & preciosa. Si enim ciuitatem, orbis oculum, terra et mari fortissimam, et quasi ortus et occasus uinculum indefinens: in quam undiq; summa concurrunt, & unde incipitur tanquam ex emporio quodam fidei communi: si hanc inquam, satis firmatis & stabilitis sermonibus, hominum non magnorū, tot præcipue linguis perturbatam, & ita ubiq; facitis, ocium alibi magnum & studio dignum est agendum. Si autem id facitis sermonibus hominum laudatorum, date aliquid & nobis, ut pro his contendamus, & ipsi partem aliquam uisibilibus his inferamus. extolle oculos per gyrū & uide, omnis qui meorum sermonum es scrutator: uide coronam gloriæ connexam, pro mercenarijs Ephrem, & corona iniuriæ. Vide confessum presbyterorum, canicie & prudentia ornatum: diaconū modestiam, non longe ab eodem remotam spiritu: lectorum decorem, populi discendi ardorem, quantaq; tam in uiris quàm in mulieribus uirtutis sit æqualitas, quantum rursus sapientiæ in uiris, quantum in simplicioribus, qui omnes sapiunt diuina: quātum in imperantibus, quantum in obedientibus, qui hinc omnes bene incipiunt: quantum in militibus, quantum in nobilibus, quantum in sermonibus, & circa sermo-

ca sermones, omnibus Dei militibus, qui in alijs māsueti sunt, sed pugnaces pro spiritu: omnibus qui supernum uenerantur senatum: ad hanc manum adduc peditatum, spiritum nempe uiuificantem. omnibus ratione præditis, tanquam ueris uerbi existentis cultoribus: mulierum quoque quæ sub iugo magis Deo quam carni sunt colligatae: mulierum quæ sine iugo sunt & liberæ. omne quod deputatum est Deo, quicquid ex iuuenibus constat, quicquid ex senibus, quibus hoc quidem rectè procedit in senectute, hoc autem manere cogitur immortale, spe renouatū meliori: ad hanc coronam de qua loquor nec tendam, non secundum Dominū loquor, nihilominus tamen loquar, & ego adiumento ero plectentibus. hoc enim & aliquantulum meorū sermonum opus existit, non eorū quos proiecimus, sed quos dileximus, neque meretricium, quemadmodum quidam dixit, qui nos diffamauit, tam sermone quam opere scortator: sed ualde modestorū. ex his enim quidam & mei spiritus germen sunt & fructus. quemadmodū generosus nouit spiritus, eos qui corporibus renunciarunt. Quin etiam testimoniū sat scio, mihi præbeant, omnes ex uobis grati, postquam omnes excoluimus. & merces mihi sufficiens est confessio sola. nil aliud enim quærimus, nec quæsiuimus. Virtus enim precium haud curat. sed solū ad id quod honestū est respicit, quo permaneat uirtus. Vultis et addemus aliquid iuuenilius: cernite linguas contrarias, mansuefactas, & qui contra diuinitatem pugnabant quiescentes. & hoc est spiritus, & hoc nostræ est agricultura. nō enim indoctè docemus. neque iniurijs decerramus, quemadmodum accidit multis, qui sermone pugnant contra loquentes, paruītatēque intellectus, iniurijs quandoque detegūt. illi enim sermones, quemadmodum & sepiā atramentū, contra seipsos expuūt, quod effugiant uenantes, aut latitent indagantes. Sed ostendimus quemadmodū in pugna pro Christo sit decertandum, pacificum illum & mansuetū, & qui imbecillitates nostras portauit. neque quiescimus iuxta sermonem ueritatis, obmittentes aliquid de mansuetudine propter gloriam. bonum enim haud malè ueniamur, quum uerò legitimè pugnauimus, quiescimus, & intra leges nostras & regulas spiritus nos continemus. Et de his quidem ita sentio, & cunctis animarum dispensatoribus ac sermonis quæstoribus legem fero. ne rebus exasperentur duris, nec extollantur secūdis: sed ratione utantur in sermonibus, & neutram supergrediantur mensuram. sed oportet forsitan desiderantibus uobis fidei etiam ipsius sermonem ostendere, si saltem aliquem habemus. Ego enim memoriæ sanctificabor assiduitate, quum populus hic utilitatem capit, talibus præ cunctis alijs gaudens sermonibus. Vnde uos cognoscere poteritis, utrum non frustra odio habeamur, ob manifestationem ueritatis, dum cum quibusdam decertamus, alios uerò præuenimus. quemadmodum enim in submersione aquarum, quædam penitus in profundo celantur, quædam uerò impulsæ ebulliunt, audituique eiectionem promittunt, differunt tamen: quædam uerò resorbentur: ita hi, qui de Deo philosophantur, ne dicam qui penitus sunt ingrati. hi enim omnino occultam & latentem in se habent pietatem. alij autem parturiunt. qui quidem id quod impium est, fugiunt: quod autem pium est, nequaquam libere profitentur. siue quod domestica quadam dispensatione utantur in sermonibus, siue quia ob timiditatem illac fugiant: & mente quidem rectè ualent, ut aiunt, populum autem nequaquam sanant, tanquam suam & non aliorum administrent præsidentiam. quidam autem publicant thesaurum. dum nequaquam dolorem in pietatis tolerant partu, neque ut soli saluentur salutē putant, si nō & alijs quod bonum est impartiantur. Cum ipsi ego cenferi opto, aut illi mecum, quo pulchram audeamus audaciam, nempe ut pietatem cōfiteamur. Vnus igitur & breuis tenor nostri est sermonis, et tanquam inscriptio omnibus nota. Populus hic legitimus trinitatis adorator existit: ita, ut potius à uita hac diuelli uellet, quam aliquid ex tribus diuelli à deitate. Vnanimis eiusdem feruoris, pari ratione, tam inter se, quam erga nos, & trinitatē affectus.

Verum

Verum ut hec singulatim ac breuiter percurrā, sine principio et principium & quod cū principio est. Vnus Deus. neq; illius quod principio caret, sine principio natura, ingenitū est. neq; una est natura, quoniā non hoc est, sed quia hoc existentis positio, non illius quod non existit sublatio. neq; principium, quia principium illius, quod principio caret esse prohibetur. non enim natura ipsi principium est, quemadmodum nec illi quod sine principio est, nam circa naturam hæc sunt. at hec non natura & quod cum eo quod est sine principio & principij nil aliud quoddā quā illa. Nomē autē quod principio caret, Pater. principio autē filius. hoc autē quod cum principio, spiritus sanctus. natura autē tribus una, deitas. Vnitas autē Pater, ex quo & ad quem reliqua reducuntur, non ut coniungantur, sed ut contineantur, neq; tempore, neq; uoluntate, neq; potētia segregata. hæc enim multa inter nos suscitauit dissidia, quū unusquisq; cum seipso, & alio contendit: quibus autem simplex est natura, & esse illud, illis etiam unitas est dominus. Verum contentiosas sermonis appellationes, & quæ alteri etiam parti adaptari possunt, necnon concertationes ualere sinamus, ne in uno contraria, Sabellij errorem sequamur, & cōtractione mala diuisionem soluamus. neq; in tribus Arium contra unum imitemur, & diuisione mala unum subuertamus. non enim ob malū malè gloriari oportet, id quod quæritur, sed à bono non aberrare. proh quā sunt hæc maligni ludus, qui malè res nostras expēdit. Nos autem per mediā & regiam incedimus uiam, in qua id quod uirtutis est consistit, quemadmodū uidetur ijs qui in his sunt potentes. Credimus in Patre & filium, & spiritum sanctum, consubstantiales, & unius gloriæ. in quibus & baptisma perfectionem habet, tam in nominibus, quā rebus. nosti qui initiaris. negas illum cui diuinitatem adimis, et cōfiteris deitatis defectum, & sic conuenimus. Vnum siquidem substantia cognoscitis, & indiuisibilis mansuetudinis: tria autem subsistentijs, siue personis, quibus placet. non enim de his turpiter digladiamur, tanquam impietas nobis in nominibus, et nequaquam lateat in rebus. Quid enim dicitis, qui tres infertis subsistētiās, non tamen tres suscipitis essentias: hoc dicite. scio ita deprehensi ualde clamabitis. Vnam enim & eandem trium illorum docetis. quid autem qui per sonas, non unum, tanquam compositum confingitis? & personarum trium uel humana etiam forma totum. apage. & uos reclamabitis, neq; enim per sona ulla Dei est, qui sic habet. quid igitur uobis uolunt subsistētiā, aut personā? addam enim. tria esse ea quæ sunt diuisa, non naturis, sed proprietatibus. admodum rectè. quomodo igitur quidam conuenient unum potius et illud idem dicere, quā sic habere, si in syllabis dissiderent. cernitis ne qualis ego sim uobis conciliator, à litera uos reducens ad mentem, quemadmodum ueterem, ita etiam nouam? Sed iterum ad eundem reuertendum est mihi sermonem. Hoc igitur ingenitum est, illud uerò genitum, at istud procedens. dicatur, & intelligatur, si nomina fingere lubet. non enim timemus ne aliquando incorporalia corporaliter intelligatis, quemadmodū uidetur calumniatoribus deitatis. Conditura autem Dei quidem dicatur, magnum enim nobis & hoc, Deus autem minime. aut tunc suscipiam cōdituram esse Deum, quādo & ego fiam propriè Deus. sic enim seres habet. si enim Deus nequaquam conditura est. apud nos enim cōditura eorū est, qui nequaquam Dei sunt. si autem cōditura, non Deus, tēporaliter enim inceptit. qui autem initium habuit, erat cum non erat, neq; senius quod non erat. hoc non propriè erat. quod autē non propriè erat, quomodo esset Deus? non igitur conditura ex tribus, neq; unum, aut aliquid hoc deterius per me factū est, quasi non solum cōditura sit, sed nostra etiam uilior. si enim ego in gloriam Dei, hoc autem propter me, temon propter plaustrum, & clausura propter ianuam. Vinco causa. quantum creaturis Deus est excelsior, tantum id quod per Deum me sustinet, illo quod per me est factum, inhonorabilius est. Sane Moabitis quidem & Ammonitis ad ecclesiam Dei ingredi non licet.

sermonibus nempe dialecticis & maleficis, qui nimis anxie generationem Dei scrutantur, & processum ineffabilem, audacterq; cōtra diuinitatem insurgunt: quasi illi soli attingere possint, ad ea quæ supra rationem sunt: aut nihil sint cuncta, quia ipsi comprehendere nequeunt. Nos uerò scripturas sequimur diuinas, & impedimenta solvimus imminentia. Salutis curam gerimus, & omnia prius audemus, quàm innouare quippiā de Deo. testimonia autem alijs relinquemus, quum iam antè sape ac multum de hac resumus loquuti: & nobis non frustra. Sed et ualde mihi turpe esset, nunc fidem colligere eorum qui olim crediderunt. siquidem nequaquam ordo est bonus, docere prius, & deinde discere: non solum diuina, et quæ magnitudine sua sunt talia, sed neq; aliud quid ex paruis & parum dignis: ex scripturisq; soluere contrarietates, & explicare, cum tempus non sit. illæ enim diligentiam exigunt maiorem, quàm propositum præsentis requirit impetus. Sermo igitur noster, ut summam dicam, talis est. & hæc percurri, non ut contra diuinitatis certarem impugnatores. Iam sæpius enim decertauimus, licet mediocriter. Sed ut uobis ostenderem characterem meorum dogmatum, sin nimis uestrorum, ego concertator, & contra ipsos, & pro eisdem consistens. Et hæc uobis uiri meæ administrationis est expurgatio: quod si laudabiliter habeo, Deo gratias, & uobis qui iussistis: si uerò spe inferius, & ita gratias: scio enim quod non omnino sim reprehensibilis: nec uobis dicentibus diffido. Num in re aliqua populum hunc circumuenimus? num in quibusdam nobis ipsis profuimus? quo uitio multos laborare uideo. Num in aliquo ecclesiam offendimus? alijs forsitan qui uos causam dereliquisse putant, nostrum opposuimus sermonem. Vos autem in re nulla, quemadmodum mihi conscius sum læsi: non bouem à uobis accepi, inquit, Samuel ad Israel, cum super rege disceptaret, non animas uestras donis redemi, testis est mihi Dominus in uobis: ita & de ijs quæ plus sunt dico, ne singula enumerem, sed purum & incorruptum conseruari sacerdotium. Si autem potentiam amaui, uel cathedrarum eminentiam, aut regum calcare aulas: nil splendidi mihi restet, aut quod possideo abijciam. Quid igitur est quod dico? Non enim ego uirtutis operator sum absque mercede, neque eo uirtutis perueni: date mihi laborum mercedem: sed quam nam? quam non facile acciperent quidam, qui omnia facile faciunt: sed quam mihi quærere tutum est: liberate nos à longis laboribus. Veneramini caniciem hanc: honorate peregrinitatem. Alium adducite, qui plus quàm nos sit decoratus: qui puras habeat manus: qui uoce non imprudens existat: qui sufficiens sit, ut omnia uobis gratificetur, & curas discernere noscat ecclesiasticas: quoniam nunc maxime tempus est, ut id fiat. Videtis enim quomodo se corpus hoc habeat nostrum, & tempore, & infirmitate, & labore consumptum. Quid opus est uobis sene timido & inuili uiro? & qui per singulos dies, ut ita dicam, moritur, non corpore solum, sed & curis: ita ut uix hæc proloqui queat. fidem habete uoci doctoris: nunquā enim non habuistis. modeste laboraui accusatus: laboraui & contra sermonem & inuidiam, cum hostibus pariter decertans & nostris. Hi enim pectora nostra percutiunt, & minus efficiunt: quod enim palam hostile est, facile custoditur. isti autem tergum observant, & ualde sunt molesti: quod enim suspicione caret, fraudi est opportunius. Sanè si gubernator quispiam esset & ualde peritus, inde multum circa nos & nauē maris ferueret unda, multusq; unā nauigantiū esset tumultus, cum alijs reluctarentur alijs, & tam inter se quam cum undis decertarent, quomodo resistere posset apud gubernaculum residens, ita ut & contra undas, & unā nauigantes decertaret, & sine periculo nauem ex duplici saluaret tempestate: quibus enim omnibus unā laborantibus, difficilis erat salutis adeptio, quomodo possibile erat ne submergerentur, si inter se decertassent? & quid alia dicere attinet? Cæterum quomodo hoc bellum sedabo sacrum? dicatur enim aliquid & de pugna sacra,

sacra tanquam Barbarica: quomodo colligabo, & in unum reducā eos qui
 ē diuerso sedent, & contrario pascunt modo? populumq; his cooperatorem
 pariter & aduersarium: non secus ac in hiatis terramotus, ea quæ sunt ui-
 cina & coniuncta: aut in morbis pestilentialibus, ubi ministri & domestici se-
 gregantur, quoniam morbus facile inficit. non solum autem hoc, sed & or-
 bis fines, unā cum seditiosis patiuntur: ita, ut in partes diuidatur contrarias,
 oriens & occidens, & periculum immineat, ne quemadmodum in opinio-
 nibus, sic etiam in limitibus fiat diuisio. quādiu durabit hoc, meus & tuus,
 uetus & nouus, rationabilior uel spiritalior, generosior uel ingenerosior,
 quis multitudine sit ditior uel pauperior. pudet me honoris, si ab alijs no-
 men fortior, quā sim à Christo saluatus. non tolero cursus uestros equestres,
 & theatra, necnon hinc inde uergentem insaniam. in expensis & studijs u-
 nā iungamur, disiungamur, contrā fremamus, paulo minus quin & aerem
 uerberemus, quemadmodum illi, & puluerem spargamus in cœlum, tan-
 quam mente capti. sub personis enim alienis contentiones explemus pro-
 prias, maliq; euadimus litis arbitri, & iudices rerū ingrati. hodie unā consi-
 demus, & gloriæ sumus eisdem, si saltem ita ferunt nos ducentes: cras in se-
 dibus contrarij, & opinionis diuersæ, si in contrarium flauerit spiritus. sed
 & cum inimicijs & amicitijs nomina etiam imponuntur: & quod est mo-
 lestissimum, non pudet nos, quum contrarijs utimur auditoribus, neq; illos
 firmos habemus, quum aliās alios nobis faciat contentio. Euriporum enim
 instar, aut reciprocationum immutamur marinarum, ac tanquam pueri in
 medio ludimus. & illudimur foro: nam ualde turpe est, & nequaquam no-
 strū, ut exercitia relinqueremus domestica, & cum alijs sentiremus. quem-
 admodum enim ætatem maturam nequaquam puerorum decent ludi, ita
 non oportet, quum alij ferunt & feruntur, ut tu melius quā multi cogno-
 scas. at ego potius eligerem unus esse ex illis, quod & sum, cum libertate se-
 creta. Cæterum erga alios taliter afficior, non confero multa cum multis, ne
 que per eandem uiam ire sustineo, temerarius forsitan & imperitius, attamē
 ita afficior, tristitia aliorum me oblectat, & aliorum oblector tristitia: ita, ut
 nec admodum mirarer, si ligarer tanquam inutilis, & delirare uiderer mul-
 tis: quod cuidam qui apud gentiles philosophatus esse dicitur, accidisse ui-
 detur, quia sapiētiam tanquam insaniam accusasset. omnia enim deridebat,
 quæ risu digna uidisset, etiam si multi illis studerent, etiam si mero plenus ef-
 se uideretur: quemadmodum & Christi euenit discipulis, cum loquerentur
 linguis, ignorantes quod uirtus esset spiritus, & nequaquam mentis excelsus.
 Sanē nostra considerate crimina. tot sunt anni, inquit, ex quo eccle-
 siam cum tēporis potentia, & prædominantis ducis impetu, nunquid opus
 illud magni est momētū? Verū quātē nobis imitationes factæ sunt: quot
 manifesti obuenerunt calumniatores: quid molesti non sumus perpessi: non
 ne iniurias? non ne minas, nō ne fugas, nōne pecuniarum raptus? nōne
 ne bonorum publicationes? nōne ne presbyterorum incendia marina? nōne
 ne naues inquinatas sanctorū sanguine? & pro nauibus factas sepulchra?
 nōne ne presbyterorum, episcoporum, seu ut exactius dicam, patriarcharū
 iugulationes publicas? nōne ne omnem locum inaccessum esse prijs solum?
 nōne molestias cunctas: quas quis enarrare posset: pro quibus quid retri-
 buimus facientibus? postquam nobis faciendi data est potestas. beneficia
 retribuimus, & eos qui nos iniuria affecere docuimus. Obmitto alia, sed no-
 stra, ut non dicam tua. nōne persecutionem pertulimus? nōne iniuria
 sumus affecti? nōne ab ecclesijs sumus expulsi? nōne populum sustinui-
 mus insanientem? Præfectos iniuriantes: Reges cum mandatis iniuste op-
 primentes: & quid postea accidit? fortiores facti sumus, & diffugerunt per-
 sequutores. satis enim mihi uindicta est illa, contra eos qui nos affecere in-
 iuria, ut potestatem habeam faciendi similia. sed illis non ita uidetur. admo-
 dum enim perfecti sunt & iusti circa retributionem, ac ideo ea exigunt, quæ
 tempo-

temporis sunt huius. Quis nam praeses, inquit, plectitur? qui nam populus corripitur? qui populi incensores? at securitatem nobis ipsis & in futurum gratificauimus, forsitan & haec nobis obprobtabunt? nam & mensae exprobrauerunt lauticias, necnon habitum venerabilem, praecessiones uero, & uenustum illud erga obuiantes. ignorabam enim, quod nobis contra consules & praefectos certamen esset, & ex militibus clariores, qui non habent quoniam projiciant sua. & oportet nobis uentrem constringere, mendicis delicatis, ne superflue abutamur necessarijs, & ea quoque quae offeruntur diminuerere, Equis uero portari delicatis, & splendidis circumferri curribus, cum pompa & plausu deduci, & omnes nobis tanquam bestijs cedere, & locum dare, aut a longe etiam timere superuenientes, Si haec molesta fuere, dimittatis. hanc mihi condonate iniustitiam. alium praeponeatis qui placeat multis. mihi autem solitudinem & rusticitatem, & Deum ipsum relinquit, cui soli et per frugalitatem placebimus. Sed graue erit, si priuabimur sermonibus, et colloquijs, & panegyricis, & domibus, & amicis, & honoribus. & pulchritudine ciuitatis, & magnitudine, quae undique resplendet, & fulgore perstringunt ad se aspicientes. sed non abintro oblectat, neque tantum, quantum perturbor & polluor a perturbationibus, quae assidue interueniunt, & tumultu. nec accersiri potero ad tam multos. non enim sacerdotes quaerunt, sed rhetores: neque animarum dispensatores, sed pecuniarum custodes. neque sacerdotes puros, sed adiutores fortes. respondeo aliquid pro ipsis. ita nos ipsos docuimus, qui omnibus facti sumus omnia. Vtrum ut omnes saluemus, aut perdamus, ignoro. quid dicitis, persuademus ne uobis sermonibus his? & uicimus. aut necesse nobis est, ut sermone utamur ualidiori ad persuadendum? Ita per trinitatem ipsam, cuius legatione fungimur, & uos fungimini, ad spem nostram communem & populi huius coadunationem. date mihi gratiam hanc. me iuxta uotum meum dimittite. dimissio, certaminis mihi fiat liberatio. date mihi literas dimissorias, quae admodum imperatores militibus, & si uultis, cum testimonij dexteritate, ut honoris etiam praemium habeam: sin minus, quemadmodum uultis. nequaquam circa illud laborabo, postquam Deus nouit quemadmodum se habebant nostra. sed quae pro me inducemus: prouidebit sibi ipsi Dominus de pastore qui praesit, quemadmodum ouem uidebit fructificantem. hoc unum opto, sit aliquis cui inuideatur, & non cuius misericordia quis ducatur, non qui in omnibus gratificetur, sed qui in quibusdam, melioris gratia resistere sciat. hoc enim in seculo isto suauissimum est, in futuro autem utilissimum. Vos igitur de dimissorijs cogitate literis, & ego uobis ecclesiae reddam ordinationem. Vale tu Anastasia, mihi pietatis cognomine insignita. tu enim sermonem nobis excitasti, etiam cum adhuc communis uictoriae locus contemneretur. Noua Selom, in qua primum tabernacula firmauimus, cum qua draginta annis in eremo oberrassemus. tuque magnum hoc templum & celebre, noua haereditas, quod nunc uti magnum esses a sermone accepisti. quae enim antea lebus eras, ex illa Hierusalem fecimus. Valete & uos qui post illud rectis uocationibus, alius alia ciuitatis pars esse censemini, tanquam uinculis colligati, & qui propere habitatis, quos post imbecillitatem hanc non nos, sed gratia nobiscum impleuit, rebus non speratis. Valete Apostoli incolae optimi, qui mei certaminis fuistis doctores. quamuis enim uos non sapius celebrauerim, at forsitan Pauli uestri Satanam, ut me colaphis in corpore ad communem circumtuli utilitatem. propter quem & nunc a uobis discedo. Vale mihi o cathedra, sublimitas inuidiae & periculo obnoxia. Archipresbyterorum confessus, ac sacerdotum, ueneratione & tempore honorandus. quantum aliud quod circa sacram mensam Deo ministrat, ac Deo approximanti appropinquat. Valete Nazaraeorum chori, psalmorum cantus resonantes, totius noctis stationes, uirginum puritas, mulierum decor, uiduarum & orphanorum turba, pauperum oculi ad Deum & nos respicientes. Valete domus hospitales, & Christi amatores, ac meae imbecillitatis susceptores.

*Templum resur-
rectionis.*

Valete meorum sermonum amatores, & cursores, & concursores, necnon calumniatores, manifesti & occulti. Valete cancelli ipsi, qui ob sermonum meorum auditum uehementer urgebamini. Valete imperator & imperatrix, & quicquid in regia ministrat & domesticum est. num imperatori fidum ignoro, Deo autem ut plurimum infidum. manibus plaudite, iubilate. Rhetorem uestrum in altum tollite, mala uobis lingua moueatur, & loquela. nūquid aliquando tacebitis? pugnabitis enim per manus etiam nigri. nam quod imminet, tacebitur. Vale, o ciuitas magna & Christi amatrix. testimonium enim præbebo ueritati, etiam si æmulatio nequaquam sit secundum cognitionem. meliores nos fecit separatio. accedite ad ueritatem. immutamini uel tardè. honorate Deum plus quam estis consueti. siquidem emendatio nequaquam turpitudinem habet, sed mali conseruatio perditionem. Vale ortus & occasus, pro quibus & cum quibus pugnauimus, testes estis, quod pacem uobis reddidi, etiam si pauci meam imitabuntur cessionem. haud enim Deum amittunt, qui throno cedunt, sed supernam habebunt cathedram, quæ sublimior est & securior. Super omnia uerò & præ omnibus clamabo, ualete angeli huius ecclesiæ, ac mei aduentus & discessus perfecti, si saltem in manu Dei nostra sunt. Vale mihi o trinitas, meditatio mea & ornamentum. hisque salua maneas, pariter & eos salua, populum hunc meum: meus enim, etiam si frustra dispensamus: mihi que semper exaltata & aucta nūcietis, tam uerbo quam pollicitia. Filioli seruare mihi depositum, memores esto te lapidationis. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis.

DIVI GREGORII NAZIANZENI IN ELE.

ctionem Doaresium Homilia, Eulalio exhibita Episcopo, Bilibaldo Pircheimero interprete.



Ratres, sermonem nostrum suscipite, licet minimus sit, licet multum destituatur dignitate, Deus tamen Dominus misericordiam iudicio ponderare nouit iusto. suscipit enim plantationem Pauli, tanquam Pauli, necnon Apollo rigationem, & uiduae albes duos, humilitatemque publicani ac confessionem Manasse. suscipite sermonem nuper conditum, ob pastorem nuper creatum. suscipite uocem gratiarum actiuam, ob miracula uisibilia. nos enim parui sumus, & minimi inter filios Israel, uerum nil prohibet, quin parui quoque abunde gratias agant. laudem igitur perfectiorē Deo reddant perfectiores omnes. nos uerò iuxta uires nostras hodie illam afferemus. Quis igitur non canitis Domino canticum nouum? quoniam mirabilia fecit. insaniebamur, pugnabamus, expellebamur, iam gratia quaedam aderat, alia uerò sperabatur. uerum quis tempestatem mutauit in tranquillitatem? quis contriuit arma, rompheam, ac bellum? quis expulsos nos & desolatos suscepit? nonne tu Deus hæc es operatus? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prelio. hic mare diuisit, hic populum exule pauidum in eremo, hic petram fonte humectauit, hic Amalec mystica & abscondita manuum figura debellauit. hoc enim sacerdotis manus in motu leuata, & in oratione figurata efficere poterat, quod nec multitudo posset infinita. hic muros sine pugna & bello subuertit. & ut nouissima dicam, hic Goliath sustulit, contra magnum Dauid audentem, elatum illum & superbum, ac sobolem gigantum. & ideo unanimiter dicamus, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in uenationem dentibus eorum. anima enim nostra torrentem pertransiuit, & tanquam passerculum nos liberauit à laqueo uenantium. iubilate animæ cumque uehementer, Dei que dona annunciate ingentia. non uenimus mittere machinam, sed pacem: non uenimus ad ignominiam pastoris magni, qui in splendida hac præsidet ciuitate. honorabile scimus, caput cognoscimus, sanctum uocamus, iniuria etiam affecti. solum filiorum sis amator, ac uniuersæ prouidentiam gere ecclesiæ. sacerdotum numerum auximus, non minuiimus, hereticorum subuersionem, & non orthodoxorum diminutionem curauimus? quid